

plo praesenti extremum est trium
Marianum discrimen.

DCCX.

U. 471 Codex chartaceus lat. Sec.
XV. Folior. nunc 128. f. per du-
as columnas non una manu exa-
ratus, rubricis distinctus, et olim
a M. Thoma Haselbachio legatus
ad Collegium, ut praefertur, *Beate
marie virginis domus rubee rose
apud fratres predicatores in Wyen-
na* varia ad Henricum de Lan-
genstein, dictum de Hassia, pri-
mum Gymnafii nostri Plantatorem,
ut in ejus Vita P. I. Scriptt. Univ.
Vien. p. 35. adpellatur, perti-
nentia continet, quae ordine indi-
camus. I. videlicet occurrit, quem-
admodum in calce dicitur, *Ex-
posicio Pater noster Magistri Hein-
rici de Hassia pie memorie*. Inscr-
pta est illa Ekchardo (Derschio
✠ 1405.) episcopo Vurmaciensi,
et incipit: *Diuina sapientia rebus
omnibus decorem ordinis &c.* ut apud
Trithem. n. 684. et Pezium
in *Dissert. Isagog. T. I. Thef.
Anecd.* p. 77. item in duplici ve-
tusta Editione s. l. et a. quarum
una f. altera 4.

II. fol. 7. succedit, ut habet
calx, *Prologus Biblie per illumi-
natum quendam Magistrum ac pro-
fessorem sacre Pagine Henricum
de Hassia editus*, qui ita orditur:
*In principio creauit deus celum et
terram. Ita scribitur in capite to-
cius diuine scripture que incipit a
libro genesis quem ideo exponere
intendo adiuuante Domino ut in
Wiennensi vniuersitate nouum sa-*

*cre theologie studium incipiat a ca-
pite vniuersalium diuinalium scri-
pturarum. &c.* Urbani VI. Bulla,
quae Academiae Vindobonensi Ca-
thedram theologiam adtribuit,
est anni 1384. Ad hunc igitur,
aut sequentem annum *Prologum*
nostrum referemus, qui maxima
sui parte commentatur in Episto-
lam Hieronymi ad Paulinum Bib-
liis praefigi solitam, et in ejus
Praefationem in *Pentateuchum* ad
Desiderium. Ex ejus mole facile
conicias, quam vasta futura sit
ipsa sacri Textus expositio, de
qua in classe sua agimus. No-
runt *Prologum* hunc Fabricius,
Pezius &c.

III. fol. 108. p. 2. Brevis In-
stitutio de *Indulgentiis*, quae inci-
pit: *Notandum. Ad hoc quod in-
dulgentie valeant, quatuor requi-
runtur principaliter. Requiritur
enim auctoritas in conferente, y-
doneitas in recipiente, pietas in fi-
ne, utilitas in opere &c.*

IV. fol. 110. Sermones III. de
B. V. Maria. 1) In Annuntiatio-
nem: *Dixit Maria ad angelum.
Quomodo fiet istud. Scriptum est
Luce primo et in ewangelio festiui-
tatis hodiernae, Patres et Domini
Reuerendi. Si magna et mirabilia
huius festiuitatis velimus contente
pensare misteria &c.* 2) ut in cal-
ce: *Sermo predicatus per Reue-
rendum Magistrum H. de Hassia de
conceptione gloriose Virginis Ma-
rie 1398. in illud: Edificauit Do-
minus Deus costam in mulierem.
Scribitur gen. 2° capitulo. Init: Ad
laudem gloriose virginis marie de
ipsius conceptione quam deuocio quo-
run-*

1707

C O D I C E S

1708

rundam christi fidelium &c. Henricum Parisinae Academiae alumnus mirum non est stare pro immaculato Virginis ortu, quem hic propugnat, postquam multis questus fuisset de Doctorum super hac re discordia, quae Scholis theologicis non contenta prorupisset in publicum, fecissetque paene Festum Contentionis e Festo Conceptionis. Annum supra indicatum non esse praedicationis, evincit mors Autoris, quae anno 1397. accidit. Dic igitur 1389. Notat hunc Sermonem etiam Pezsius l. cit. 3) In Nativitatem: Ipse fundavit eam altissimus. Scribitur psal. 86. Domini et patres venerabiles. Magne utique et gloriose virginis festivitatis diem primordia humane salutis recolentem &c. Citatur e Codd. a Pezio inter Henricianos, et fortassis id ipsum adfirmasset Clausula in nostro, nisi extrema essent avulsa. Adfirmat faltem de tota Triade Indiculus fronti ab antiqua manu praefixus: Item Aliqui notabiles sermones eiusdem.

DCCXI.

R. 3019. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. pereleganter exaratus, rubro distinctus, et litera principe aurata, margineque picturato florulento decorus hanc in Theca notam praefert: *Hunc libellum qui inuenerit, Monasterio Sancte dorothee vienne restituere debet. In quo continetur primo expositio magistri Nicolai de Dinkelspuchel super oratione dominica.*

Deinde expositio eiusdem super salutatione angelica. Rubrica prioris Expositionis est: Incipiunt Sermones &c. et re ipsa in XIII. diuisa est, hoc initio: Si quid petieritis patrem &c. Altera inscribitur fol. 59. p. 2. Incipit sermo — de Annunciatione dominica. et super Ave maria. Initium: Ingressus angelus ad eam &c. Siftitur in verbis: Et benedictus fructus ventris tui. Et quod ulterius dicitur. scilicet Iesus christus, summus pontifex, ut fertur, addendum ordinavit. Dixi de his Expositionibus jam Vol. I. P. 3. col. 2812. et alias; sed dandum aliquid erat nitidissimo huic Exemplari.

DCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 76 XIV. Folior. 37. 8. minute, sed nitide exaratus et rubricis distinctus inscribitur: *Tractatus fratris Sybotonis de ordine minorum super Ave Maria. Nempe usque ad verba Ecclesiae: Sancta Maria, Mater Dei &c. Expenduntur singulae hujus Salutationis particulae per plures Articulos hoc ingressu: Ave gratia plena dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. dixit ad virginem angelus de celo transmissus. Et benedictus fructus ventris tui adiecit elizabeth spiritu prophetico inspirata. Ut habetur Luce 1°. Hys uerbis simul iunctis interposito hoc glorioso nomine Maria solet deuota plebs fidelium diuinitus edocta salutare virginem nostri saluatoris genitricem &c. Et fine: ut eatis bona opera faciendo,*
et